

dens dubium occurrat an quis baptizatus fuerit vel non, sub conditionata forma erit baptizandus. Hoc vero prudens dubium vel versatur circa ipsam existentiam facti, an scilicet revera ritus externus positus fuerit; vel circa modum quo factum positum fuit, an scilicet omnia essentialia adhibita fuerint. Porro circa existentiam facti unus testis sufficit, præsertim si se baptismum ministrasse testetur, dummodo nihil occurrat quod illius testimonio fidem detrahat. *Cann. 110. et 112. de Consecr. dist. 4. et cap. Nuper, de Testibus.* Hanc materiam fuse tractat Bened. XIV. *de Syn. L. 7. c. 6.* Quid autem dicendum si aliqua pars ritus omissa fuerit? Si profecto omissa fuerit pars quæ est substantialis, ita ut ea non posita, sacramentum fuerit irritum, nullum dubium est, iterum esse conferendum sacramentum. Quod si vero omissa fuerit aliqua pars ritus, quæ sit solummodo integralis, valet principium propositum ab Innoc. in *c. 1. h. t.*, caute scilicet, implendum est, quod incaute fuerat prætermissum.

3. Hoc posito quomodo explicandum est *c. 3. h. t.* in quo quæstio proponitur an prætermissa manuum impositione in ordinatione Diaconi vel Presbyteri, debeat ordinatio iterari, vel suppleri eadem impositio, et Greg. IX. respondet supplendam esse manuum impositionem. Quidam docent quoad Presbyteratum loqui Gregorium de illa manuum impositione, quæ præcedit traditionem calicis et patenæ, quæque reputatur mera cæremonia accidentalis ritus. At admitti nequit hæc opinio; nam Pontifex loquitur de ea manuum impositione, quæ æquiparatur manuum impositioni ordinis Diaconatus, quæ certe accidentalis et simpliciter ecclesiastica non est. Loquitur ergo Pontifex de secunda manuum impositione, qua potestas ligandi et solvendi conceditur, et eam dicit esse supplendam. Et merito quidem ait Gregorius non esse iterandam ordinationem, sed esse supplendam manuum impositionem. Nam Sacerdotium potest considerari veluti duplici potestate constans, et sacra ordinatio veluti duplex. Hinc una collata potestate, nempe collata potestate circa corpus Christi verum, potest alterius potestatis collatio suppleri, si fuerit omissa. Integratur enim Sacramentum cum suppletur manuum impositio, quin iterum conferatur. — Hæc quæ de ordine Presbyteratus diximus, etiam dici debent de omissa manuum impositione quoad Diaconatum. Verum Giraldi *Expos. Juris Pontif. part. 1. sect. 114.* cum Fagnano *ad Cap. 'Cum venisset' De sacr. Unct. nn. 54. et 97.* adnotat, tutius esse si tota

ordinatio saltem sub conditione iteretur, et hanc esse dicit praxim Congregationis.

4. Ex dispositione *c. 1. h. t.* si Episcopus non chrismate, id est oleo cum balsamo, sed oleo tantum fuerit usus per errorem, non est integer ritus confirmationis repetendus, sed solum supplenda est unctio adhibito sacro chrismate. Ex hac responsione Pontificis non est illico putandum, solutam fuisse quæstionem circa materiam essentialem confirmationis, quasi nempe dici posset unctioem ex chrismate esse materiam ad summum integram. Nam verba Pontificis possunt intelligi de iteratione ipsius Confirmationis, prætermissis ceteris ritibus peculiaribus, qui iterari non debent. At animadvertit Giraldi *cit. loc. sect. 113.* utique Ecclesiam non condemnasse opinionem eorum qui tenent balsamum non esse materiam essentialem sacramenti Confirmationis, attamen collationem hujus sacramenti esse iterandam sub conditione si fuerit in collatione adhibitum oleum absque balsamo. Et ratio est, quia Patres omnes loquentes de Confirmationis sacramento, mentionem faciunt de balsamo adhibendo cum oleo. Idem eruitur ex omnibus Euchologiis et Ritualibus.

TITULUS XVII.

De filiis Presbyterorum ordinandis vel non.

1. Quoniam ad ordines et ad beneficia promoveri debent idoneæ et honorabiles personæ, et quædam arceantur ob impedimentum irregularitatis; hinc B. Raymundus subjicit nonnullos titulos qui de irregularitatibus tractant. Cum vero de criminibus et eorum effectibus juridicis agat in Lib. V. in præsentis Lib. I. explicat solummodo irregularitates ex defectu, acturus de iis quæ oriuntur ex delicto in Lib. V.

Irregularitas est 'impedimentum canonicum, quod directe prohibet quominus quis ordines suscipiat, et in ordinibus jam susceptis ministret'. Diximus 'directe'; nam cum beneficia instituta sint in Ecclesia, ut determinentur jura et officia Clericorum; hinc indirecte irregularitas constituit etiam impedimentum quoad beneficiorum assecutionem. Ut rationabilitas hujus impedimenti innotescat præ oculis habenda est natura sacri ministerii. Siquidem officium ministrorum, ceu alias adnotavimus, debet esse in Ecclesia utile et honorabile; hinc ex utroque capite vel alterutro quidam arcentur

ab ordinibus suscipiendis, et ab exercitio ordinum receptorum. — In præsentī titulo agitur de illis qui rejiciuntur ab Ordinibus quia eorum opus non esset honorabile. Sunt vero qui irregulares dicuntur ex defectu natalium; nam licet in Decretalibus Greg. IX. *'De Filiis Presbyterorum'* titulus inscribatur, tamen in VI^o. *Decretalium* additur *'et aliis illegitime natis.'*

2. Ratione hujus defectus plures classes distinguuntur irregularium. Nam quamvis in genere omnes sub nomine illegitimorum veniant, qui non ex justis nuptiis orti sunt, tamen pro varietate concubinitus, varietas specierum distinguitur. 1^o. Dicuntur illegitimi naturales qui nati sunt ex parentibus inter quos vel tempore conceptionis vel saltem nativitatis poterat consistere matrimonium christianum. Jure civili ille est filius naturalis qui natus est ex concubina quæ domi loco uxoris detinetur. 2^o. Qui nati sunt ex matre certa sed incerto patre eo quod mater commercium carnale cum pluribus habuit, dicuntur nothi vel spurii vel vulgo quæsi vel manseres. Dicuntur 3^o. adulterini qui nati sunt ex duobus quorum unus vel ambo tempore generationis et nativitatis filii conjuncti erant legitimo matrimonio cum alia persona. Inter illegitimos 4^o. loco adnumerantur incestuosi, qui nempe nati sunt ex iis personis inter quas, ob impedimentum dirimens cognationis vel affinitatis matrimonium esse non poterat. Tandem 5^o. illegitime nati dicuntur sacrilegi, qui orti sunt ex commercio carnali illius personæ vel illarum personarum, quæ vel ordinis majoris vel solemnē religiosæ professionis lege obstringebantur.

3. Cum titulus de filiis Presbyterorum loquatur, præcise comprehendit illegitimos sacrilegos. Qua in re vero animadvertendum est, sermonem non esse de filiis procreatis in legitimis nuptiis ante susceptos sacros ordines, nec comprehendere filios græcorum presbyterorum, qui etiam in latina ecclesia possunt ad ordines promoveri *c. 6. de Cleric. conjugat.* Loquitur ergo titulus de filiis presbyterorum latinorum post susceptos ordines progenitos. Quos inter comprehenduntur etiam procreati post susceptum ordinem sacrum cum uxore legitime ante ordines ducta *c. 14. h. t.* Porro curnam hi et alii illegitimi ab ordinibus arceantur, multiplex assignatur ratio. Præcipua vero est quia eorum ministerium honorabile non censetur in societate christiana. Videntur enim ut adnotat *Glossa in c. ult. h. t. in VI^o.* contraxisse maculam turpitudinis parentum, ita ut quodammodo per eosdem filios illegitimos

perpetuetur memoria parentum qui sacrilegæ unionis macula sese fœdarunt *c. 16. h. t. Conc. Trid. sess. 25. c. 15. de Ref.* Hinc in detestatione paternæ turpitudinis crimen parentum aliquo modo punitur etiam in filiis, ut magis quodammodo parentes ipsi puniantur. Cui rationi accedit etiam alia, nempe periculum incontinentiæ horum illegitimorum. Timetur enim ne filii parentum incontinentiam facile imitentur, quemadmodum non raro contingere solet.

4. Quæstio 1^a proponitur utrum illegitimis debeant accenseri infantes expositi et inventi, quique in hospitiiis charitatis excipiuntur et educantur. Profecto non loquimur de illis, quos certe per authenticum testimonium constat ex legitimis nuptiis ortum habuisse, nec de aliis quos pariter certe constat extra matrimonium fuisse progenitos. Quæstio illos tantum attingit, quorum origo incognita est. Quidam auctores tuentur ipsos legitimos esse recensendos, et posse sine dispensatione ad ordines promoveri; tum quia jus nemini auferendum est nisi contra probetur, et macula illegitimitatis nulli est adscribenda nisi constet de ejus maculæ existentia; tum quia si admitteretur illegitimitas, præsupponerentur infantes ortum habuisse ex injustis nuptiis, idest ex crimine, quæ præsumptio irrationalis est. Crimina enim non præsumuntur sed probari debent. Verum contraria opinio in praxi admittenda et adoptanda est. Et sane irregularitas ex defectu natalium, quæ inducta est in honorem ordinis clericalis, eo dirigitur ut status Clerici sit cognitus, nec suspicio oriatur in populo, aut inquisitio instituat inter fideles circa originem et honestatem natalium sacerdotis vel ministri ecclesiastici. Hæc porro suspicio, hæc inquisitio sponte institueretur circa infantes expositos et incertæ originis. Hinc in curiis episcopalibus non sufficit ostendere legitimitatem negativam, qua nempe non constet aliquem esse illegitimum; sed electa est via positiva, ita ut ostendi debeat per documenta legitimitas ipsa idest nativitas ex justis nuptiis. Hinc illi, de quibus ignoratur legitimitas ceu irregulares habentur. Cfr. Cardinalis Petra *Comm. ad Const. 22. Sixti IV. n. 2.*

5. Porro defectus natalium sanari potest quatuor modis 1^o. per subsequens Matrimonium, 2^o. per legitimationem Principis, 3^o. per professionem religiosam, 4^o. per dispensationem legitimi Superioris. Primus modus est, cum vir et mulier ex quorum commercio ortus est filius, matrimonium juxta ecclesiasticam formam ineunt. Con-

tractus hic fictione juris censetur retrotrahi ad tempora nativitatis filii, ita ut filius habeatur ceu natus ex legitimis nuptiis. Ut vero fictio juris locum obtineat, necesse est ut tempore conceptionis vel saltem nativitatis filii inter parentes consistere potuerint justæ nuptiæ. Ex quo patet per subsequens matrimonium legitimari posse et tolli defectum natalium solummodo pro filiis illegitimis naturalibus, non vero pro adulterinis, sacrilegis aliisque illegitime natis, ceu constat ex *c. 6. Qui Filii sint legitimi*. Immo quoad ipsos naturales, licet per subsequens matrimonium parentum legitimi fuerint, aut etiam per dispensationem apostolicam, tamen ex Bulla Sixti V. *'Postquam vero'* edita die 3. Decemb. 1586. §. 12. inhabiles perpetuo habentur ad obtinendam dignitatem Cardinalatus.

6. Secundus modus est legitimatio Principis, verum si perficiatur a principe laico, vim habet tantum quoad effectus civiles, non vero quoad spiritualia necnon quoad beneficia.

7. Tertius modus est per ingressum et professionem votorum solemnium in religione approbata, *ex c. 1. h. t. et can. 1. dist. 56*. Quoad Religiosos Societatis Jesu ex Bulla Greg. XIII. *'Ascendente'* legitimantur ex votis simplicibus post novitiatum emissis. Verum legitimatio hæc ex eod. *cap. 1. h. t.* est solummodo ad ordines suscipiendos, non vero ad prælaturas etiam regulares. Illegitimæ etiam mulieres non possunt eligi in Abbatissas vel Priorissas; arg. ex eisdem *cap. 1. h. t.*

8. Quartus modus est dispensatio legitimi superioris, cum nempe a legitimo Superiore non conceditur pura et simpliciter legitimatio; sed sanatur defectus natalium ad aliquem effectum et ad aliquod jus obtinendum vel ad aliquem ordinem suscipiendum. Porro hæc dispensatio est strictæ interpretationis, consetur enim per eam infligi vulnus juri communi *c. 1. h. t. in 6º. §. fin.* Hinc dispensatus ad ordines non censetur pure et simpliciter factus legitimus. Hinc ex Glossa ex *c. Si quis in Clero caus. 7. q. 1. v. 'Solemnibus'* non valet argumentum a simili ad simile, et a majori ad minus, nisi hoc minus in majori includatur. Quapropter dispensatus ad beneficium, potest unum tantum beneficium assequi dummodo sit sufficiens *c. 1. §. ille vero h. t. in 6º*. Nec per dispensationem irregularitatis ad beneficium intelligitur data facultas ad assequendum beneficium curatum vel dignitatem aut personatum vel etiam canonicatum ecclesiæ cathedralis arg. *c. ult. h. t.*

et *c. 4. de Præb. in 6º*. Et ratio est, quia in materia odiosa sub nomine beneficii non comprehenduntur parochiale beneficium, canonicatus ecclesiæ cathedralis, personatus et dignitates quæ peculiarem excellentiam secumferunt. *Cap. 22. De Elect. in 6º*. Hinc etiam dispensatus ad ordines non censetur dispensatus ad beneficium obtinendum. Excipitur merito dispensatio ad ordines majores, in quibus requiritur titulus ordinationis, qui ex lege ordinaria est beneficium *c. 6. h. t.*

9. Quæritur quinam sit superior legitimus ut possit dispensare ab irregularitate ex defectu natalium. Si sermo sit de ordinibus majoribus suscipiendis, vel de dignitatibus, personatibus, aut de beneficiis curam animarum annexam habentibus, solus Pontifex Supremus dispensare potest auctoritate propria *cap. ult. h. t.*

10. Dignitatibus et personatibus accensentur etiam canonicatus Ecclesiæ Cathedralis ob specialem prærogativam honoris; quibus ex *c. 12. sess. 24. de Ref.* in Tridentino, adnexus esse debet ordo sacer. Quare Doctores tenent quoad hos canonicatus cum illegitimis posse dispensare solummodo Rom. Pontificem. Quoniam in dispensationibus super irregularitate ex defectu natalium S. Sedes soleat conditionem apponere *'dummodo paternæ incontinentiæ imitator non sit'*, *s. Congr. Concilii* interrogata, in Sarzanen. diei 23. Decem. 1596, respondit, huic conditioni satisfieri per Episcopum executorem inquirendo in moribus personæ, ita ut per integrum decennium persona probe et honeste vixerit, possit Episcopus delegatus rescriptum dispensationis executioni mandare, licet antea de incontinentiæ labe orator suspectus extiterit. Et merito. Nam experientia laudabilis per decennium integrum constituit sufficiens argumentum pro futura honestate tuenda.

11. Si vero sermo sit de prima tonsura et de ordinibus minoribus ac de beneficiis non duplicibus, nec curam animarum adnexam habentibus, potest Episcopus aut Prælati alius dispensare, qui jurisdictione quasi episcopali polleat *c. 1. h. t. in 6º*. et arg. *c. ult. h. t.* cum Glossa ib. Non solum autem qui character episcopali munitur, sed etiam Abbas seu alius Prælati dispensare potest; quia dispensatio est actus jurisdictionis, et Episcopo conceditur jus dispensandi ratione regiminis Ecclesiæ; quod competit etiam Abbati qui gaudet jurisdictione quasi episcopali arg. *c. 1. h. t. in 6º*. Immo hoc jus dispensandi sede vacante in Capitulo et hodierno Tridentini jure in Vicario Capitulari residet; quia per-

tinet ad ordinariam Dioceseos administrationem, nec recensetur inter casus a jure reservatos vel prohibitos.

12. Verum in c. 1. h. t. in 6^o. in hoc jure episcopali dispensationis limitatio aliqua facienda est quoad beneficia. Ait enim Pontifex 'dummodo *beneficium* sit tale super quo per ipsum Episcopum valeat dispensari'. Quæ verba, ut jacent, non ad defectum natalium referuntur, sed potius ad ipsum beneficium. Hinc limitatio potestatis episcopalis procedit ex qualitate speciali beneficii, ob quam Episcopus in defectu natalium dispensare non potest. Glossa in id. cap. duplicem casum affert: 1^o. si agatur de beneficio quod a genitore illius, qui dispensationem exposcit, immediate possidebatur *capp. 10. et 11. h. t.* — 2^o. Si sermo sit de beneficio, quod ex lege foundationis vel privilegio aut consuetudine ordinem sacrum adnexum habeat *c. 6. de Const.*

13. Occasione *c. 6. sess. 24. de Ref.* in Tridentino ubi datur Episcopo facultas dispensandi ab irregularitatibus omnibus provenientes ex delicto occulto, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario aliisque criminibus jam deductis ad forum contentiosum, quæritur an possit Episcopus dispensare cum illegimitas ex defectu natalium est occulta, ad sacros ordines suscipiendos, et ad assequenda beneficia curata, et dignitates vel personatus. Gravissimi auctores affirmativam sententiam tuentur ob eam præcipue rationem, quia irregularitas in casu procedit ex crimine occulto parentum, ac proinde est revera irregularitas ex crimine occulto. At contraria sententia melior est ac in praxi servanda. Non enim ultra fines a Tridentino statutos facultas extendi debet, nam privilegium continet quod est vulnus legis. Jamvero facultas Episcopo tributa respicit irregulares ex delicto, non vero ex defectu, prout sunt illegitime nati, qui nullam culpam admiserunt. Communis vero sententia Theologorum et Canonistarum semper hoc in sensu intellexit irregularitatem illegitime procreatorum. Insuper Concilium, ut ex sensu obvio patet, locutum est de macula irregularitatis ex crimine proprio contracta, non vero ex alieno. Nam loquitur de crimine quod posset ad forum contentiosum pertrahi. Contra vero crimen in hypothesis illegitime natorum deduci ad tribunal non posset. Non tenetur enim filius de paterno crimine eorum judice respondere. Deinde criminis occulti specimen exhibens circa quod cadit exceptio facultatis episcopalis, Concilium affert homicidium voluntarium patratum ab ipsa persona quæ ex-

inde facta est irregularis. Cfr. Giraldi *Expos. Juris Pont. p. 1. sect. 128.*

14. De successione filii sacerdotis in beneficium patris. Et primo quidem de filiis legitimis presbyterorum. In *c. 7. sess. 25. de Ref.* Tridentinum refert odiosa esse sacris constitutionibus in beneficiis ecclesiasticis ea quæ hæreditariæ successionis imaginem referunt. In hisce verbis Tridentinum licet non expresse et distincte, videtur tamen reprobare concessionem beneficiorum quæ redolent successionem hæreditariam quemadmodum esset si filius patri in beneficio succederet. Sed expressius hæc res traditur in *capp. 10. 11. et 13. h. t.* In c. 1. vero *de Præb.* dicitur in bonis Ecclesiæ non succedi jure sanguinis. Ex quibus capitibus eruitur principium, quod nempe filius non possit proxime consequi et immediate succedere beneficio quod pater ejus habuit; beneficio nempe quod vacavit vel morte vel renunciatione patris. Hinc non prohibetur successio mediata, si videlicet alia persona beneficium post patrem possederit *c. 7. h. t.* Quod jus a Tridentino non fuit correctum. Hinc 2^o. in eadem Ecclesia pater et filius legitimus possunt habere distincta beneficia *c. 12. h. t.* Potest 3^o. pater succedere immediate filio suo legitimo in beneficio sine ulla dispensatione. *S. Congr. C. 22. Decem. 1594.* Cfr. Bened. XIV. *De Syn. Dioc. L. 13. c. 24. n. 15.* Quoad vero nepotes, vivente eorum patre videntur posse succedere immediate avo suo in beneficio, secus si præmortuus fuerit eorum pater. Ratio est quia in priori casu cessat ratio successionis, viget vero in secundo casu.

15. De filiis illegitimis in relatione ad Ecclesias vel beneficia parentum. — Vetita est uti vidimus immediata successio filii legitimi in beneficium patris ut evitetur in bonis ecclesiæ imago successionis hæreditariæ, et juris sanguinis observantia. A quibus relationibus merito abhorret Ecclesia; nam Dei vocatio in ordinibus, et in beneficiis vel ministeriis ecclesiasticis idoneitas servanda est. At cum sermo sit de assumendis filiis illegitimis sacerdotum vel ministrorum, aliud principium adoptatur a sacris canonibus. Idest ut paternæ incontinentiæ memoria ab Ecclesiis Deo consecratis, quas maxime puritas, sanctitasque decet, longissime arceatur. *Trid. sess. 25. c. 15. de Ref.* Hinc *ex c. 15. h. t.* filius illegitimus, licet ad ordines suscipiendos dispensationem retinuerit, tamen præbendam in ecclesia ubi pater est canonicus consequi nequit. Concordat *c. 16. eod.* Immo in *c. 2. eod.* filius presbyteri

licet obtinuerit ex litteris apostolicis concessionem ut esset Capellanus in Ecclesia ubi pater ministravit, removendus est, idest litteræ apostolicæ præsumuntur obreptitiæ vel subreptitiæ. Exciipiuntur vero legitimated per subsequens matrimonium. Isti enim ex sensu *cap. 6. Qui filii sint legitimi* veniunt sub appellatione filiorum qui nati sunt ex legitimo matrimonio. Cfr. Fagnanum *Comm. ad Cap. Ad extirpandas h. t. num. 33.*

16. Synodus vero Tridentina in cit. loc. *sess. 25. de Ref.* hasce dispositiones juris communis ampliat et melius explicat. Ex verbis vero Tridentini tria consequuntur: 1^o. filios clericorum illegitimos in ecclesiis in quibus patres habent vel habuerunt ecclesiasticum beneficium, obtinere non posse quodcumque etiam dissimile beneficium; 2^o. immo nec in iisdem ecclesiis quoquo modo ministrare; 3^o. nec habere posse pensionem super fructibus beneficiorum quæ parentes eorum obtinent vel obtinuerunt. Ex tenore ejusdem capituli eruitur dispositionem Synodi respicere non solum filios presbyterorum, sed etiam eorum qui tantum Clerici sunt et beneficium in ecclesia possident. Immo ex declaratione s. Congr. Conc. relata a Garcia *p. 7. de Benef. c. 3. n. 15.* sub eadem dispositione comprehenduntur non solum filii progeniti in clericatu, sed etiam illegitimi progeniti ante clericatum. Quare dispositio respicit omnes filios illegitimos clericorum quamvis ad ordines suscipiendos dispensationem juridicam fuerint assequuti. Hanc etiam dispositionem Tridentinam explicans *S. Congr. Conc. resolvit* 1^o. per eam prohiberi etiam mediatam successionem filii in beneficium patris: annis 1589. et 1608. — 2^o. nec posse audire confessiones in ecclesia, ubi pater parochus fuit, et demortuus est: In Oritana diei 4. Julii 1645. — 3^o. Filius illegitimus non potest fieri rector ecclesiæ filialis et dependentis illius ecclesiæ matricis, cujus pater rector fuit: quemadmodum resolutum fuisse a s. Cong. Conc. refert Fagnanus *comm. ad cap. XI. h. t. n. 34.* Cfr. Bened. XIV. *De Syn. L. 13. c. 24.* Quibus positus quamvis Episcopus aut alius Prælati jurisdictione quasi episcopali gaudens possit dispensare cum illegitime natis ad ordines minores suscipiendos, et ad obtinenda beneficia simplicia, non potuit tamen dispensare cum illegitime natis ut assequantur beneficium paternum vel pensionem in sensu exposito, quia contraria prohibitio pendet a jure communi. Præ oculis etiam haberi debet Const. Greg. XIV. quæ incipit '*Circumspecta filia*' quæ prohibet quominus illegitimus possit

recipi in ordine religioso in quo pater ejus adhuc vivit. Tandem animadverti debet, prohibitiones canonicas in præsentia materia non egredi ipsas personas parentum et filiorum. Quare nepotes legitimi nati ex filio illegitimo clerici non comprehenduntur in cit. decreto *sess. 25. cap. 15. Conc. Trid. de Ref.* Ita resolvit s. Congr. Conc. in causa *Tricaricen.* diei 23. Januarii an. 1610.

TITULUS XVIII.

De servis non ordinandis et eorum manumissione.

1. Servitus a servando derivat, quia servi dicebantur illi qui capti in bello dum potuissent periri, servabantur. In genere servire dicitur qui operam suam ad alterius arbitrium præstare debet. In stricto vero sensu, prout accipiebantur inter Romanos Instit. *De jure Person. § Servitus.* servi sunt, qui dominio alieno contra naturam, constitutione juris, subjiciuntur. Servitus quæ erat juxta leges romanas, et procedebat vel ex nativitate, vel ex captivitate, nempe ex bello, vel ex venditione, quum nempe quis major 20 annor. ad pretium recipiendum se venumdari patiebatur, revera dici poterat contra naturam; nam servorum nulla erat conditio et status, nec ullum proprie dictum jus habebant. Hinc servi non considerabantur uti personæ, sed uti res. Et in dominio Romanorum quemadmodum variæ rerum possessorum classes secernebantur, ita hisce classibus recensebantur servi. E contra cum ingenui et liberi homines in varias classes dividerentur vel ratione status, vel ratione honoris et familiarum, servorum nulla erat divisio; quia servus nullum jus erat. Hinc poterant noxæ dari, et aliquando potuerunt etiam occidi. Quare servitus mortalitati fere comparabatur. *L. servitutem ff. de Reg. Jur.* Hic excessus lapsu temporis prohibitus est, non tamen quia servus aliquod jus datum sit, verum solummodo, quia civibus impositus est modus, et rationabilis usus rerum suarum.

2. Qui conceptus servitutis naturæ hominis aperte repugnat. Hunc conceptum reformare aggressa est christiana Religio. Ipsi enim Apostoli docuerunt in Christo omnes esse æquales, nec distingui gentiles et Judæos, liberos et servos; Deumque divitem esse in omnes qui invocant illum. Hinc etiam cum designantur in prædicatione apostolica obligationes servorum, describuntur